



**Controversiarum Inter Principes Cathedras Divi Thomæ
Doctoris Angelici, Et Scoti Doctoris Svbtilis**

Stümmel, Friedrich

Coloniæ Agrippinæ, 1680

Quæst. II. Sitne eadem ratio admitten die aliquam non identitativa, quæ
est de essentia, & attributis, item de essentia, & relationibus divinis, & de
attributis inter se?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84332)

QUAESTIO II.

Sitne eadem ratio admittendi aliquam non identitatem ex natura rei inter prædicata Dei quidditativa, quæ est de Essentia & Attributis, item de Essentia & Relationibus Divinis & de Attributis inter se.

S U M M A R I U M.

1. Opinio affirmans auctoritate sulcitur & ratione. 93.
2. Opinio negans statuitur ut verior sive Auctoritatem spectes, sive rationes. 95. & seqq.
3. Conceptus entis transcendentis respectu Dei & creatura non fundatur in aliqua realitate communi, quæ sit formaliter ab inferioribus ex natura rei distincta. 98. & seqq.
4. Examinantur & discutiuntur melius Scoti Auctoritates 100. & seqq.
5. Spectando rationem opinio negans ens in Deo ex natura rei distinctum, prævalet. 104. & seqq.
6. Baro nihil suffragatur opposito assertionis nostræ, eodem.
7. Poncii doctrina, quod esset quid in Deo, prius Deo, repudiatur. 107. sicut & dari aliquid, quod nec sit participatum, nec imparticipatum 110.
8. Novæ rationes in oppositum proponuntur & diluuntur. 111. & seqq.
9. Deus eo formaliter est Deus, quo est formaliter ens, & quod est ens est substantia, quod est substantia est Spiritus, ac in eodem sensu, quo est Spiritus est vita, intellectualitas, singularitas, existentia & tota actualitas &c. 115. & seqq.
10. Diluuntur argumenta ab initio Quaestionis sub numero 93. & 94. adducta pro opinione affirmativa. 118. & seqq.

S. I.

Afferitur auctoritas Scoti & rationes pro sententia affirmativa.

93 **P**RO affirmativa inter Scotistas, nec desunt rationes, nec auctoritas pro hac quidem primo stat ipse Scotus 1. d. 8. q. 4. §. Ad quaestiones. n. 17. ubi ex eo probat Attributa formaliter distinguere, quia si infinita sapientia esset formaliter infinita Bonitas, tunc sapientia in communi esset formaliter Bonitas in communi, infinitas enim non destruit formaliter rationem illius, cui additur,

atque hæc ratio, si quid concludat, à paritate concludit etiam de prædicatis quidditativis, scilicet si ens infinitum esset formaliter substantia infinita, tunc ratio entis in communi esset formaliter ratio substantiæ in communi, infinitas quippe addita non variat rationem formalem rei cui additur.

Fundamenta pro eadem opinione à rationibus deprompta.

94 **N**EC desunt similiter rationes pro eadem, quia ex eo Scotista probant distinguere Attributa Dei, eaque esse in Deo secundum proprias suas rationes formales, quia quælibet earum dicit perfectionem simpliciter simplicem; sed indubie substantia Dei, spiritus, vita intellectualis &c. sunt perfectiones simpliciter simplices, & formaliter Deum denominant substantem, immaterialem, viventem, intellectualem: ergo si inde inferatur inter Attributa distinctio aliqua actualis, illa, cum sit suppar ratio, inter prædicata quidditativa negari non debet. Adde non minus posse propria descriptione definiri substantiam, spiritum & vitam intellectualem in Deo, quam Attributa: sed illa ex hoc probantur inter se distincta, ut q. præced. visum est, ergo in proposito idem tenendum. Sit

S. II.

Statuitur opinio negans eaque verior.

A S S E R T I O

Ratio, quæ est de Essentia & Attributis & aliis proprietatibus in Deo inter se vel ad Essentiam comparatis, quo ad distinctionem ex natura rei formalem nullatenus eadem est, quoad prædicata Dei quidditativa.

95
In Divi-
nis aliter
identifi-
cantur
inter se
prædica-
ta essenti-
alia, ali-
ter attri-
butalia.

Quidditativa Dei prædicata, ut Controv. præced. vidimus, sunt ens, substantia, spiritus, vita intellectualis, singularitas, existentia &c. de quibus Assertio generatim proposita probatur ex Scoti q. 1. quodlib. n. 10. versu: nam contradictio videtur, ubi conceptis verbis docet Attributa non eadem identitate sibi identificari, sicut prædicata essentialia. Nunc autem, inquit, intellectualitas, sive vita intellectualis est idem essentialiter Essentia Divina, sic intelligendo, quod non tantum est idem realiter ipsi Essentia, & hoc identitate simplici, sicut forte quodcunque Attributum ponitur idem ipsi Essentia: sed hoc modo est idem sibi, quod si ipsa Essentia Divina definiretur, vita intellectualis sive intellectualitas, non esset extra definitionem, sicut sapiens vel bonum. Manifestum autem est penes Scotistas quod Attributa tantum sint idem inter se realiter, & quod possint propria definitione describi, ita ut unus definitio alteri non possit tribui, ergo non est eadem ratio de prædicatis quidditativis, quoad distinctionem, quæ de Attributis. Probari potest secundo Quodlib. 6. §. Contra ista arguitur. num. 10. sic ergo concedo, quod est idem Deo esse, quod magnum esse, & aliquo modo, si licet dicere, magis intrinsece quam Deo justum esse, vel sapientem esse, quia non ita dicit magnum proprie-

tatem vel attributum sicut justum vel sapiens. Ubi Doctor expresse vult modum intrinsecum infinitatis in Deo seu magnitudinis non distinguui ea distinctione ab Essentia, quæ distinguantur Attributa: ergo id multo magis sentit de ipsis rationibus Dei quidditativis Essentiam divinam constituentibus, de qua prædicantur in primo modo dicendi per se & in primo gradu primi modi, modi autem intrinseci solum in secundo gradu, ut dictum Controv. 9. q. 4. n. 30. & seqq.

Quantum ad quidditativa Dei prædicata in particulari v. g. quantum ad abstractissimum entis prædicatum, an Deus eo sit essentialiter Ens, quod Deus, vel Deus eo essentialiter Deus, quo Ens, comprobanda est ex quaestione metaphysica, an ens, ut sic, importet realitatem communem ex natura rei præcisam à Deo & creatura, ita ut conceptus entis respectu Dei & creaturæ fundetur in aliqua communi realitate ex natura rei formaliter ab inferioribus distincta, quæ de re Magistris fufissimè disputat in Met. d. 2. q. 4. art. 1. & 2. nos propter multas difficultates passim hic & alibi obvias in eandem inquiremus quaestionem, unde ad principale quaesitum propius accedere liceat. Sic itaque

Digressio ad quaestionem metaphysicam propositæ difficultati conterminam, videlicet:

Num detur respectu Dei & creaturæ conceptus entis ex natura rei actualiter ab inferioribus præcisus?

S. I.

Possitne illud ostendi ex Auctoritate Scoti?

97
Scotista
pro opini-
one affir-
mante,
qui sint
pro ne-
gante vi-
de sub n.
99.

Quod sic nemo inficias ire deberet, dicent Anton. Andr. 1. Metaph. q. 1. art. 3. Canon. 1. Phys. q. 3. Faber Theresmate 94. Poncius p. 3. sui Curfus Philosoph. d. 59. n. 11. & in additione ad q. 2. ibidem Bonet 1. l. sue Met. c. 2. Magister formatum art. 2. Meurille 1. l. sue Metaph. q. 7. Saxius in sua Catastrofi d. 10. q. 3. art. 3. alique, nam primo Doctor 2. d. 3. q. docet universum dari naturas à parte rei præcisas ab inferioribus & contrahentibus: ergo idem dicendum de ente aliis: que conceptibus transcendentibus; conseq. probatur iisdem rationibus, quibus Doctor 2. d. 3. q. 1. probat necessitatem naturarum communium in rebus: sit §. contra istud, assumit obje-

ctum in quantum objectum, esse prius naturaliter ipso actu intelligendi, ac ideo si est de se singulare, intellectus intelligens illud sub ratione universalis, intelligeret illud sub ratione opposita suæ conditioni, ergo si secundum nos quidquid est in Deo est singulare, & de se hoc, non poterit Deus intelligi sub isto conceptu entis communi, quia intelligeretur sub ratione opposita suæ conditioni, ergo dabitur in Deo ratio aliqua quæ sit communis & enti correspondens, prout Deo & creaturæ convenit, ut l. c. pluribus ostendit.

Secundo 1. d. 8. q. 3. num. 26. in responso ad illud, per quid contrahatur conceptus communis

Saxius. munis Deo & creaturæ, habet hæc verba: Iste etiam conceptus contrahentes, subaudi illum conceptum entis, de illo enim est ibi sermo: Dicunt modum intrinsecum ipsius contracti & non aliquam realitatem perfectientem illam. Id illam, inquit Saxius l. c. ad quid refertur, nisi ad realitatem contracti? deinde mox n. 27. movendo dubium, quomodo potest conceptus communis Deo & creaturæ realis accipi, nisi ab aliqua realitate ejusdem generis, in responso ait: Requiritur igitur distinctio inter illud, à quo accipitur conceptus proprius, non ut distinctio realitatis & realitatis, sed ut distinctio realitatis, & modi proprii & intrinseci ejusdem, quæ distinctio sufficit ad habendum communem perfectum conceptum vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis, & perfectus sit proprius. Quibus verbis Doctor videtur aperte dicere, quod conceptus entis sumitur à realitate communi, quæ cum per modos contrahatur, conceptus format particulares.

Scotus. Tertiò 1. d. 3. q. 2. §. Secundo non asserendo n. 8. probans, quod Deus cognosci possit non tantum in conceptu analogo, sed in conceptu univoco Deo & creaturæ in secunda ratione principali sic habet: Nullus conceptus realis causatur in intellectu viatoris naturaliter, nisi ab his, quæ sunt naturaliter motiva intellectus nostri: sed illa sunt phantasmata, vel objectum relucens in phantasmate, & intellectus agens: ergo nullus conceptus simplex sit modo naturaliter in intellectu nostro, nisi qui potest fieri virtute istorum: sed conceptus, qui non esset univocus alicui objecto relucens in phantasmate, sed omnino alius & prior, ad quem iste haberet Analogiam, non posset fieri virtute intellectus agentis & phantasmatis, ut probabo; ergo talis conceptus alius analogus, qui ponitur naturaliter in intellectu viatoris. Quæ auctoritas, si bene ponderetur, præsupponit conceptum entis, quam intendit probare esse univocam esse realem, alioqui argumentum quod procedit à simili de conceptu causato ab intellectu viatoris, nihil valeret, esset enim à simili sine similitudine, hunc locum urget Saxius Tom. 1. d. 10. q. 3. art. 3. num. 64. & mox subdit alium Doctoris locum ejusdem dist. q. 3. n. 8. §. Quantum ad secundum. Et ita patet, quod ens habet primitatem communitatis ad prima intelligibilia, hoc est, ad conceptus quidditativos generum specierum individuum, & partium essentialium omnium istorum, & entis increati, & habet primitatem virtualitatis ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus, hoc est, ad conceptus qualificativos differentiarum ultimarum & passionum propriarum. Quomodo autem, inquit Saxius, posset habere hujusmodi primitatem, atque virtualitatem ad tales conceptus reales, nisi esset quid reale? & præsertim cum continentia virtualis in ente rationis esse non possit, continentia enim virtualis ad aures Doctoris subtilis pertinet ad dependentiam causæ & causati, quod quidem enti rationis

minimè convenire potest. Ita noster Saxius, atque in iis tantam vim ait invenisse Viguerium & Bargium, ut in respondendo ad hæc loca dicat illos denique incidisse in suam sententiam, live si bene, inquit, res perspiceretur, parum distant à sententia, quam sequimur, & fortè nihil, ita ille: his tamen non obstantibus

Dico primo. Quod sit eadem ratio & mens Doctoris Subr. de ente aliisque transcendentibus, quoad conceptus, quasi essent suis rationibus adequati & fundati in una realitate communi formaliter ex natura rei à suis inferioribus præcisa, qualis est de naturis genericis & specificis intra seriem predicamentalem, ex nullo loco nullavè Doctoris auctoritate solidè probari potest, quin potius oppositum à Thomistis & quibusdam Scotistis Doctori divinando magis, quàm rectè illam interpretando attribui videtur.

Sensus conclusionis est, quod si ens comparatur ad substantiam & accidens in decem prædicamentis contenta, importet quidem conceptum ex natura rei actualiter præcsum à suis inferioribus & contrahentibus, seu quod in idem redit, fundatur quidem in aliqua natura seu realitate communi à parte rei inventa in substantia & accidente, & ex natura rei formaliter actualiter distincta à particularibus eorum rationibus, nullatenus tamen conceptus entis transcendentis respectu Dei & creaturæ, qui non fundatur in aliqua realitate communi, quæ sit formaliter ex natura rei distincta à contrahentibus, neque sunt conceptus adequati, sed inadæquati, quibus non unica, sed plures correspondent realitates, in quibus Deus & creatura, quantum ad gradum essendi sunt primo diversa.

Hanc conclusionem præstantissimi & plurimi defendunt Scotiste, tam moderni quàm antiqui, ut Tatarus. 1. Met. q. 1. art. 1. Valon. Tract. formalit. declarans communitatem entis. Lychetus 1. d. 2. q. 1. solvendo argumenta Okami & d. 3. q. 2. & 3. & d. 8. q. 3. & 1. d. 25. & 26. Smising de Deo uno Tract. 1. d. 2. num. 63. ubi expressè docet conceptus entis, substantiæ & similes, prout à nobis abstracti à Deo & creatura non habeat perfectam unitatem & univocationem, sed solum imperfectam, quoad nostrum intelligendi modum, quo etiam à primò diversis abstrahere solemus rationem communem. Idem docet Tract. 2. d. 2. q. 1. num. 31. ad quartum & Tract. 3. d. 1. q. 1. num. 10. in fine, citatque ibi Scotum 1. d. 8. q. 3. ad 1. Viguerius 1. d. 8. q. 3. in solutione ad primum principale. Bargius ibidem & d. 26. Trombeta 4. Metaph. quæstione secunda, ad secundum principale. Item in suis formalit. p. 2. art. 2. & cap. de identitate & distincte, ex natura rei. Herrera 1. disp. 79. quæst. prima ad 2. Vulpes Tom. 10.

p. 1. d. 10. art. 1. n. 2. quos omnes *Scotistas* citat & sequitur *Mastrius* l. c. quibus adde *Merinx* d. 1. de Existencia & Essentia Dei q. 4. dub. 2. n. 45. *Baro* in *Metaph. Apolog.* 2. A. 4. n. 1. *Sichen* in *Metaph.* d. 2. de natura entis. q. 1. n. 13. quare immerito *Poncius* hanc doctrinam à *Mastrio* propositam *disf. Curs. Phil.* 69. q. 2. in additione ait in uno loco, esse contra omnia *Scoti* principia, in alio appellat insulsam, & quæ nullam habeat apparentiam nisi destructa universim distinctione formali *Scoti*. Sed tenendum censeo potius cum *Mastrio* & aliis supra cit. *Scotistis*, nam

100

Primo quod nec ratio eadem sit, & *Scotus* primo loco adducto discurrat de conceptibus adæquatis & prædicamentibus à parte rei in una natura communi repertis in inferioribus, non de transcendentibus prob. ex dictis *Controv. præced.* q. 6. quia omnia prædicata Essentia Divina constitutiva ex mente *Doctores* sunt de se singularia, id est, imbibunt in essentiali suo conceptu & intrinsecè singularitatem: atqui prædicatum entis est unum ex constitutivis Divina Essentia: ergo nequit esse commune, seu perfectionem convenientem habere cum creaturis, consequenter ob oppositam rationem, quia gradus prædicamentales perfectam à parte rei dicunt convenientiam, cum non sint primo diversa, sicut Deus & creatura, non est eodem modo discurrendum de ente aliisque conceptibus inadæquatis transcendentium, sicut de conceptibus prædicamentibus, suisque realitatibus, quas important, adæquatis, de quibus solum concludit *Doct.* 2. d. 3. q. 1. quod illud, quod est ex se singulare adæquato conceptu intelligibile nequeat concipi sub conceptu universalis, cujus contrarium, quod possit concipi sub ratione universalis loquendo de conceptu inadæquato, quo concipimus ens, habet expressè 1. d. 3. q. 20. n. 20. in responso ad *Henricum* in fine. Quomodo autem intellectus tunc non conciperet objectum singulare sub ratione opposita & repugnante, sive qualiter primo diversa in realitate concipi possint, convenire in conceptu dicemus §. seq.

Confirmatur ex dictis *Controv. cit.* q. 6. §. 2. in prob. *Affert.* 3. & §. 4. in responso ad secundam rationem. Quibus adde non posse, si prædicatum entis in Deo non esset de se hoc, diceretque realitatem Deo & creaturæ communem, evitari compositionem in Deo, cum talis realitas esset potentialis ad actum, neque obstat, ut vult *Lychetus*, quod non ab aliquo extrinsecò, sed à semetipso & ex necessitate naturæ quasi determinetur à semetipso, si enim per impossibile ex necessitate naturæ materia à seipso sine extrinsecò uniretur formæ vel anima corpori adhuc materiæ æqualis ac modo cum forma & animæ cum corpore obtineretur compositio, ergo pro illo priori saltem, quo illa realitas non conciperetur, ut finita vel

infinita, idem esset in proposito, sed de hoc actum est *Tom. 2. Controv. 3. q. 1. & 2.*

Quod neque ex altero *Scoti* loco quidquam habeatur contra Assertionem, & quidem non ex illo quem urget *Saxius* l. c. patet ex dictis *Controv. præced.* q. 4. ad ultimum *Instalis* contra primam Assertionem & q. 6. §. 3. & *Tom. 2. cit. Controv. 3. q. 2. n. 142.* quibus locis diximus ens non dividi primò in infinitum & finitum, nisi ex nostro modo intelligendi; sicut enim conceptus entis revera non est prior ex natura rei Deo & creatura, quia ut quid posterius abstrahitur ab illis jam in suo esse constitutis; ita contractio entis, quæ sit per finitum & infinitum censeretur debet contractio à posteriori facta per intellectum cum fundamento in re, non à priori, nec aliud ibi intendit *Scotus*, ex cujus contextu, quantum ad sequentia colligitur clarè, illum non loqui ibi de aliqua realitate, quæ dicat præcisè conceptum entis, sed ibi distinguit de duplici realitate perfecta & imperfecta, quodque perfecta sit ipsa realitas sumpta cum suo modo intrinsecò, imperfecta sumpta sine tali modo; loquitur de propria realitate Dei præcisè spectata & sine suo modo considerata, sicut enim, quando illa realitas perfectè concipitur, id est cum suo modo ibi non esset conceptus solius entis & modi intrinseci, sed propriæ realitatis ex omnibus Dei quidditativis & modo suo intrinsecò constitutæ, quæ uno adæquato conceptu intelligitur, Deus siquidem sumptus cum suo modo intrinsecò est tantum unum objectum formale terminativum cognitionis intuitivæ, ut implicantiæ dicat, aliquem intellectum intuitivè cognoscere Deitatem & non ipsum gradum intrinsecum Deitatis; ita quando concipitur illa realitas imperfectè & sine modo, ibi non esset nudus conceptus entis, sed propriæ realitatis Dei, quæ consistet prædicatis suis constitutivis, etsi imperfecto conceptu intellectæ.

Denique irritò conatu contra Assertionem *Saxius* l. c. interpretatur *Doctorem* 1. d. 3. q. 1. & q. 3. de conceptu entis, qui præ se ferat realitatem communem & præcisam ex natura rei ab inferioribus, nam licet innuat ibi conceptum entis esse realem, nullatenus tamen realis est, in sensu objicientis, ut dicat distinctam realitatem, qui autem talis conceptus & communis sit Deo & creaturæ, & simul realis sine realitate communi explicabitur §. seq. nihil ergo obtinent *Adversarii* ex II. cc. *Doctores Subtilis*.

Jam directè probatur *Affertio* ex *Doctore* 1. d. 8. q. 3. diversis locis & quidem primò ex iis quæ pro extra signantur, & pro additione, videlicet num. 17. & num. 28. in prima additione quæ est sub num. 17. dicitur: *Intentioni generis correspondet propria realitas, non sic alii intentioni communi, quæ additio inde auctoritatem habet, quod addatur ibidem, sic dicetur infra, quando respondebitur ad dubium contra solutionem primi argumenti principalis, quibus*

quibus verbis Doctor promittit, se eadem
q. suum dictum, quod illis, quæ habeant
rationem generis, correspondeat propria
realitas, non autem alii intentioni commu-
niori, quales sunt conceptus transcenden-
tes, velle stabilire infra, quod & præstat
cit. n. 28. ubi contra datam solutionem in
corpore fit instantia: & si dicas saltem con-
ceptus communis est indeterminatus & poten-
tialis ad specialem conceptum &c. puta si ni-
mirum ille conceptus communis accipiat
ab aliqua realitate, quæ sit perfectibilis &c.
cui responderetur extra ibidem hoc modo:
cum dicitur Deus est ens, tunc solum est com-
positio conceptuum, quæ compositio est signum
identitatis significatorum, quia idipsum in re,
quod significatur per conceptum Dei, est
id, quod significatur per conceptum entis;
respondeo, inquit, Deus est illud, quod per
hoc signum ens, ut per signum commune signi-
ficatur, & ideo apud intellectum hæc compositio
vera est: Deus est ens, quibus inquit,
quod ens in Deo & Deitas una sint eadem-
que realitas, esto per conceptum Dei distin-
ctæ, per conceptum entis verò indistinctæ
significetur. Ergo Doctor vult conceptum
entis non accipi ab aliqua una realitate ex
natura rei à Deitate præcisæ, ut amplius in
corpore extra illam additionem, urget con-
ceptus verbis, verum: sed si arguas, statuens
duplicem conceptum: unum, qui accipitur
à realitate perfecta, eique est adequatus,
qualis competit intellectui rem intuitivè &
perfectè intelligenti, ut Doctor ibidem in
corpore: alium, qui accipitur diminutè &
inadequatè, ut conceptus de Deo, quo in-
tellectus cognitione solum abstractiva & im-
perfecta concipit Dei realitatem, non con-
siderando gradum intrinsicum realitatis, à
quâ accipitur conceptus entis. Manet pro-
inde quod secundum Scotum entis concep-
tus non habeatur ab aliqua realitate perfecta
& de se præcisæ ab inferioribus, sed ab intelle-
ctu illam imperfectè concipiente.

102
Scotus. *Iam probatur Assertio ex eadem dist. &
qq. cit. n. 11. in fine, ubi illam positivè
probat, nimirum ibi ut & declaratur in
Summario, convenit Scotus cum Henrico,
quod Deus non sit in genere, sed impro-
bat Henrici fundamentum, qui negabat en-
tis univocationem ad Deum & creaturam,
dicitque ad nostrum propositum: Ad secun-
dum patebit secundo articulo, quod Deus &
creatura non sunt primo diversa in concepti-
bus, tamen sunt primo diversa in realitate,
quia in nulla realitate conveniunt, & quo-
modo possit esse conceptus communis sine con-
ventionia in re vel realitate, in sequenti dicitur.
Quæ litera perspicuè indigitat Doctoris men-
tem esse, quod ens in Deo sit primo di-
versum ab ente creato in realitate, esto
non in conceptu, qui illis communis est,
loquendo de communitate conceptus trans-
cendentis, & in quo univocè conveniunt,*

R. P. Stamelli Tomus I.

& de quo ibi ad confutandum Henricum ser-
mo fuit, non de prædicamentali, quia cer-
tum erat, tam secundum Scotum quàm Hen-
ricum Deum non poni in genere, seu non
convenire cum creatura in conceptu solum
prædicamentali, ut frustra Scotistæ oppo-
nentes hunc locum explicare conantur.

Tertiò idipsum Mastrius & alii nonnulli
nostræ opinionis Scotistæ probant ex 1. d.
3. q. 2. §. Quintò dico, n. 20. in fine, ubi Doctor
ait: cum arguit, subaudi Henricus, quod Deus
non potest intelligi in aliquo conceptu universalis
communi univocè sibi & creaturæ, quia est singu-
laritas quedam. Respondeo, inquit, consequen-
tia non valet, Socrates enim in quantum Socra-
tes est singularis, & tamen à Socrate plura possunt
abstrahi prædicata, & ideo singularitas alicuius
non impedit, quin ab eo, quod singulare est, possit
abstrahi aliquis conceptus communis, & licet quid-
quid est ibi in re sit singulare ex se existendo, ita
quod nihil contrahat aliud ibi ad singularitatem,
tamen illud idem potest concipi ut hoc in re vel quo-
dammodo indistinctè & ita ut singulare, vel ut com-
mune.

Verum ex illo loco non videtur colligi quasi
conceptus univocus Deo & creatis sit desump-
tus præcisè ab intellectu imperfectè concipiente,
& cui à parte rei non correspondeat vera
aliqua realitas ab inferioribus præcisæ, cum
sicut in Socrate, à quo Scotus trahit similitudi-
nem non obstante sua singularitate conceptui
hominis, animalis, correspondeat naturæ com-
munes ab illo abstrahibiles, ut concedunt om-
nes Scotistæ: ergo dicendum est ad mentem
Doctoris, quod conceptus entis communis
Deo & creaturæ sit desumptus ab aliqua reali-
tate communi ex natura rei à Deo & creatura
præcisæ, & ita apud Mastrium l. c. Faber illam
Scoti auctoritatem vertit in suam opinionem,
revera tamen non satis attendit ad mentem
Doctoris, qui ibi non solum concesserat Hen-
rico propositionem, in qua assumebatur, non
esse in Deo plures realitates, quarum una esset
communis, altera contrahens illam ad singula-
ritatem, cujus oppositum, ut liquet, est in So-
crate, ideoque verissimum sit, quod concepti-
bus hominis animalis & entis respondent à par-
te rei realitates communes & per aliud indivi-
duabiles; sed insuper expressè addit, quidquid
est in Deo sit ex se singulare, nota illud, in re est
singulare ex se inexistendo, ex se, inquit, non per
aliquid distinctum, ut contingit in Socrate, ar-
gumentum proinde, quod in Deo nulla detur
realitatum pluralitas, qualis ob rationem op-
positam reperitur in Socrate, stat in suo valore,
consequenter quod non sit suppar ratio gra-
dum prædicamentaliū & conceptuum trans-
cendentaliū, de quibus ibi Doctori sermo
est.

Confirmari hæc possunt ex dictis Controv.
9. q. 6. §. 3. ubi ostendimus qualiter ex men-
te Doctoris valeat abstrahi conceptus com-
munis & aliquo modo realis, cum tamen
à parte rei nulla sit realitas communis

E 3

corre-

correspondens, sed quod sint rationes primò
diversæ, uti & sunt Deus & creatura à quibus

utique abstrahitur conceptus communis entis,
ut dicitur §. seq.

§. II.

*Positum ex ratione ostendi quod ens importet realitatem communem ex natura
rei præcisam à Deo & creatura?*

Dico secundò. Spectando rationem nullo modo
convincitur, quod ens importet adequatam
realitatem Deo & creatura communem, ac ex na-
tura rei ab illis præcisam; sed potius quod dicat
simplicissimum conceptum mediante intellectu à
particularibus & primò diversis rationibus Dei &
creatura abstractum.

Baro.

104

Mastrius.

Prima pars patet ex dictis supra, si enim Deus
secundum omnes rationes à parte rei in Deo
repertas, sit essentialiter singularis, & de se hoc
esse, uti *Contror. præced. q. 6.* & hic satis super-
què probatum est, jam evidenter certum est,
quod realitas entis ut sic, sit de se hæc & essen-
tialiter singularis; ergo non communis. Qua-
re nostro Baronio l. c. non obstante, quod re-
sponsiones ad hanc rationem tam Poncii quàm
propriam ibi vereatur esse insufficientes, im-
merito displicet, quod dicamus conceptum entis
non fundari in aliquo communi sed imme-
diatè abstrahi à particularibus rationibus Dei
& creaturæ inadæquatè conceptis, nam, quæ-
ro, inquit, quare tunc debeat natura inadæquatè
concipi, nisi quia includit aliquid ultra ens?
cum intellectus abstrahit à Deo ens, vel relin-
quit ei aliquid, vel nihil. Si nihil, tunc certè
non inadæquatè, sed adæquatè & plenè eam
concepit. Si aliquid, ergo jam ens perfectè di-
stinguitur ab aliis contentis in Deo, verum re-
sponsio est in promptu, quia intellectus, qui ef-
ficat hanc abstractionem, eandem indivisibilem
rem cui juxta diversas conceptibilitates & de-
finitiones, diversæ quadrant præcisiones in di-
versos conceptus secare potest, ut fit dum in-
adæquatè concipit rationes particulares Dei &
creaturæ, & nisi hoc admittat Baro, cum nihil
aliud, dum ad quæstionem, *utrum ens sit univo-
cum Deo & creatura* dicit l. c. concluditque
non dari realitatem aliquam entis univocam
Deo & creaturæ, dicere convincitur quàm
Deum & creaturam in rationibus suis particu-
laribus non esse univoca, de quo nemo unquam
dubitavit, proinde extrahit quæstionem ad
aliud sensum, quàm ductores intendunt, acci-
piendo realitatem, non pro aliqua formalitate
entis ut sic, sed pro ipsa re adæquatè accepta,
quæ non spectat ad quæstionem & difficulta-
tem, circa quam versatur quæstio, cum indubiè
Deus & creatura in suis rationibus particulari-
bus primò diversa inter se æquivoca sunt.

105

Secundò probat Mastrius & alii Scristæ hoc
argumento: omnis realitas constituens, est
prior suo constituto, cum in ordine ad consti-
tutum habeat rationem partis; consequenter

quia totum constitutum est dependens à parti-
bus constituentibus, sequeretur quod ens in
Deo, quod spectat ad prædicata Divinitatis
constitutiva sit & quid prius & quid indepen-
dentius ipso Deo, quæ sunt falsitates manifestè
absurdæ.

Huic argumento occurrit Poncius in suo cur-
su Philosoph. *disp. 69. q. 2. in additione* negando
sequelam, quod possit esse quid independentius
& in sensu intento prius Deo: cum enim ille
conceptus entis non possit esse, ut neque in Deo
neque in creatura sit, hic nec potest nisi abur-
distimè concipi, quod possit esse independen-
tius Deo. Quantum autem ad primum quod
esset quid prius Deo, *distinguo*, inquit, *esset prius*
Deo, quatenus possit concipi sine eo, quod concipiat
Deus, & possit etiam reperiri in aliquo, quod
non sit Deus, concedo consequentiam: esset alio
modo prius Deo, sic, ut possit existere realiter sine
Deo, aut ut Deus dependeat tanquam à causa rea-
liter distincta à Deo; nego. Probationem simili-
ter *distinguo*: realitas constituens est prior
constituto, quantum ad hoc, quod possit intelli-
gi non intellecto constituto, non verò è contra, tran-
seat: quantum ad hoc ut possit esse à parte rei
sine constituto universaliter nego, & eodem
modo *distinguo* quantum ad secundam partem
de dependentia constituti à constituentibus.
Ita ille.

Hoc responsum non evacuat vim argumen-
ti, nam falsum est imprimis, quod idè possit
dici prius, *quatenus possit reperiri in aliquo, quod*
non sit Deus, illud enim haud dubiè erit creatu-
ra, à qua certè ens, quod est in Deo, nullam
fortiri potest prioritatem; ut patet conside-
ranti.

Secundò, nec potest dici ens esse prius Deo,
quatenus possit concipi sine eo, quod concipiat
Deus, ergo non valet solutio. Prob. Antecedè
idè juxta Poncium absurdissimè conciperetur
esse independentius Deo, quia ille conceptus
entis non potest esse neque in Deo, neque in
creatura sine Deo, ergo similiter absurdissimè
conciperetur esse prius Deo, in quocunque sen-
su concipitur, quia ens in Deo, quatenus possit
concipi sine eo, quod concipiat Deus, ita ut &
ille conceptus prioritatem arguat entis à Deo,
necesse vel conciperetur sine eo, vel cum eo
Deo quidem, sed cum ordine præsuppositionis
& exigentiæ, per quam ens præbet intellectui præ-
fundamentum concipiendi illud cum tali or-
dine prioritatis & posterioritatis, nihil enim
conceptibile ut prius, nisi aut prioritate origi-
nis.

nis, qualis non est in proposito inter ens & Deum, aut prioritate in qua intelligendi, quæ prioritas, cum ens ex mente hujus Auctoris propriam importet realitatem ex natura rei in Deo & creatura distinctam, fundatur in distinctione, ibi enim, ubi est ordo cum distinctione rerum aut formalitatum, inter quas est ordo, ibi est prius & posterius ex natura rei, adeoque præsuppositionis & exigentia: atqui utraque prioritas in Deo inter ens & Deum est absurda. De prima si conciperetur sine Deo patet ex concessis: De secunda probatur, quia prioritas in qua concipiendi nulla alia, nisi cum ordine præsuppositionis aut præexistentiæ actualiter reperitur in Divinis quomodo Doctor Quodl. 1. §. De secundo: docet Essentialia in Divinis esse priora notionalibus, absoluta respectivis, Essentiam Attributis, & inter absoluta quidditativa saltem per rationem communiora minus communibus, ut ratio substantiæ immaterialitatis & hæc intellectualitatis, & hæc iterum appetitivitatis, intellectio denique volitionis, idque ex natura rei per ordinem præsuppositionis cum distinctione formali in tellectionis à volitione, sed non reperitur talis prioritas inter ens in Deo & ipsum Deum, alia, si originis excludas, quam dici non esse ad proprium, in Deo non est assignabilis, ergo ens formaliter distinctum in Deo, non ideo diceretur prius Deo, eo quod possit concipi sine eo, quod concipitur Deus, vel si dicatur prius, erit prius Deo prioritate præsuppositionis, & Deus posterius, quod est absurdum, Major est cætera, minor perspicue patet, quia nihil præcisè exinde dicitur alio prius, quod possit intelligi sine illo, alioquin quod est posterius posset fieri prius, posterius enim potest concipi sine eo, quod concipitur prius, ergo revera prioritas illa entis, si importet propriam in Deo realitatem, per aliud explicari non potest, cum una erit ex realitatibus quidditativis Dei, quam quod ens Deo dicatur prius, quatenus Deus habet esse suum, cum intrinseca dependentia ab ente per causalitatem metaphysicam, & sic non effugitur argumentum supra à Masfrio oppositum, quod non agit de prioritate durationis, ut supponitur in responso, sed intrinsecæ dependentiæ, si enim admittenda sit aliqua concipiendi prioritas inter ens in Deo & Deum ut integrè constitutum, & illa non sit prioritas originis, nec prioritas præsuppositionis sicut revera non est, quia Essentia dicitur Natura prior Attributis &c. qualis illa erit? & esto Essentia non dicatur prior Attributis, ideo præcisè, quod ex illa ut radice fluant Attributa, nec ideo diceretur ens prius Deo, quatenus Deus non ab ente esset ut radice, attamen sicut Essentia dicitur saltem natura prior ideo, quia existit independentem ab illa & non è contra, ita quia ens propriam dicens realitatem à Deo formaliter distinctam, quæ sit illius constitutiva, possit intelligi non logicè solum, sed revera quoque modo non ficto prius non intellecto constituto, erit quia illud natum est intelligi secundum se & secundum suam rationem for-

malem, ut talis cognitio, qualis terminatur ad ipsum ut prius, non necessariò debeat terminari ad constitutum ut posterius, prius enim ut prius, seu in quantum est ex natura sua, intelligi potest sine dependentia aliqua aut necessitate illius posterioris, non è converso, implicat enim constitutum intelligi sine intrinseca aliqua præexistentia sui constituentis, ergo secundum illam opinionem manet, ideo ens in Deo concipi sine Deo, ut constituto, quia constitutum intrinsecè dependet ut posterius à constituyente, non è contra. Consequenter ut primum urget argumentum sequitur & manet, Deo dari quid prius & independentius.

Exemplum quod addit Pontius de Personali-
tibus Divinis, quibus Divinæ constituuntur Personæ, non est ad rem, quia ut supra ex Scoto diximus essentialia sunt priora relationibus, consequenter cum Persona Divina nihil sit quam Essentia Divina, ut determinata à relatione tali vel tali, non dant esse Essentia, sed Essentia Relationibus, ac ita non est suppar ratio de ente, quod non ab Essentia, sed illa ab ente suo accipit esse, cum se habeat, maxime in opinione Pontii admittentis in Deo compositionem, ut constitutum ex ente, ens ut quidditativè constituens.

Porrò nec aliorum, qui tenent cum Pontio, quod ens dicat realitatem conceptui adæquatam, verè & à parte rei Deo & creaturæ communem, valet periculum ad realitatem sive objectivam sive subjektivam, nec per recursum ad prioritatem, non quidem in essendo, sed prioritatem in prædicando, quæ dici solet, à qua non convertitur subsistendi consequentia, evitare possunt: non per primum, nam vocites, ut velis, illam realitatem, si illa sit à parte rei natura sua prior Deo, tenet argumentum. Non etiam per recursum ad prioritatem in prædicando, quia esto id verum sit in opinione, quæ non concedit nobiscum realitatem aliquam Deo & creaturæ communem à parte rei, falsum tamen est in opinione asserente contrarium, sicut enim animal v.g. præcedit hominem constitutum per ipsum, non tantum prioritate prædicationis seu non convertentiæ, sed & prioritate naturæ, quam per intrinsecam independentiam explicamus, ita si realitas entis verè constituit, & à parte rei sit præcisa ex natura rei à Deo, non tantum prioritate logica & in prædicando, sed revera prioritate naturali & in essendo, ipsum Deum præcedet, consequenter cum realitas taliter communis quantum est de se non appetit magis esse in hoc, quam illo inferiori. Huc veniunt & reviviscunt omnia argumenta, quæ adducta sunt Controv. 9. q. 6. in probatione Assertionis, ex qua & dictis statim etiam patet non subsistere, quod assert Pontius ad confirmationem de subsistendi consequentia.

Tertia ratio communiter à Scotistis adduci solita, qui nostræ opinionis sunt, à Masfrio prolixè hæc assertur: ratio entis quæ reperitur in creatura intrinsecè & essentialiter est esse participatum seu ab alio, & è contra ratio entis,

Quare
Essentia
dicatur
prior At-
tributis
& non
econtra.

108

109

quæ reperitur in Deo essentialiter est esse existens imparticipatum & à se; ergo repugnans est quod illa ratio entis sit à parte rei communis Deo & creaturæ, esset enim aliquid participatum in Deo & quid imparticipatum in creatura. Hæc ratio censetur opinione quorundam frivola, eo quod ratio entis præscindat à participato & imparticipato, ita ut neutrum sit formaliter, utrumque permissivè, eo modo quo animal ex se neque est rationale neque irrationale substantia ut sic neque corporea neque incorporea, sed abstrahit ab utroque. *Est verioris* iudicio videtur inexpugnabilis: quod probatur ab iisdem hoc modo: repugnat dari aliquid in rerum natura, quod non sit vel creatura, vel in creatura, vel sit Deus, aut realiter in Deo: si ratio illa entis est creatura, vel in creatura, ergo necesse est ut sit ab alio, seu ratio participata; si Deus vel in Deo: ergo est necesse esse & imparticipatum. Prob. conseq. quoad primum totum quod est in creatura est intrinsicè participatum à Deo, non solum categorematicè, sed etiam syncategorematicè, ita ut esse participatum adæquat totum esse creaturæ secundum omnem ejus formalitatem, tam quoad supremam & universalissimam rationem entis, quam infimam, quæ enim esset illa formalitas in creatura, quæ non sit à Deo? si potes, assigna, per rationem entis constituitur in esse reali, annè aliquid esse reale suum, ut sic, habet à se? sane sicut totum quod est in Deo & à se, ita quod est in creatura, est intrinsicè participatum à Deo. Quæro itaque per quid illi tuæ realitati entis à cæteris ex natura rei præcisè v. g. in homine competit esse participatum & causatum, non dices quod secundum aliquid ab ente distinctum, quia quærimus de ipso ente an ipsum secundum se secundum formalitatem entis præcisè fundet rationem dependentiæ, adeoque æque sit ratio participata, quam quæcunque alia realitas in homine. Prob. conseq. quoad secundam partem, nam si ratio illa entis sit Deus, vel realiter in Deo, est à se & essentialiter independens non solum identicè, sed formaliter, quælibet enim realitas in Deo, quæ est realiter eadem Deo, ut Scotus 1. d. 8. q. 3. propriam & formalem suam habet infinitatem, & ea ratione, ut alibi dicemus, excludit omnem compositionem à Divinis: ergo à primo ad ultimum, manet ens, quod convenit creaturæ, involvere intrinsicè esse participatum, & è contra imparticipatum & independens intrinsicè involvi in ratione entis, quod est in Deo.

Quid-
quid est,
vel Deus
est, vel
creatura.

110
Poncius.

Iterum respondet Poncius l. c. quod creaturæ quidem producantur secundum omnem earum formalitatem, adeoque à Deo participant rationem entis, sed distinguit ita: *Creatura secundum rationem entis producitur à Deo, ita ut ipsa ratio entis producatur, concedo, inquit, ita ut ipsa sit ratio formalis sola ob quam produci possit, nego. Sed potius ratio illa est finitas vel contractivum entis ad esse creaturæ.* In hoc responso, si benè consideretur, Poncius totum concedit, quod intenditur, quia nihil aliud urget nostrum argumentum, quam quod à Deo producatur

ratio entis in creatura, quando autem dicit, quod sit ratio formalis ob quam producatur, nego. Si sensus sit, quod productio non competat enti, quia ens est, est contradictio in terminis, quia ratio entis produceretur à Deo, ut conceditur, & tamen non produceretur secundum rationem entis, seu secundum seipsum, quod est contradictorium concessio; si autem sensus sit, quod quidem producatur secundum realitatem entis, sed productum esse illi non conveniat quia ens, sed qua finitati conjungitur, vel idem est dicere, quod ens sit productum, quia est productum, finitas enim importat in realitate entis modum intrinsicum, sine quo illa realitas entis perfecta ut est à parte rei implicat concipi; vel idem erit dicere, & hic Auctor intendere videtur, quod res habet esse productum & denominatur producta, quia est finita, sed hoc est falsum, potius enim res est finita, quia producta, sicut quia Deus est à se, idem est infinitus, infinitas enim ut expresse Doctor Quodl. 1. art. 1. Quodl. 5. & 7. de Deo probatur per esse à se, quia, inquit, Deus est prima omnium entitas à se in toto ordine entium, idem est ens illimitatum & infinitum, nam quod habet à se aliquid, habet illud à tota plenitudine, quæ sibi competere potest: ergo similiter esse finitum & limitatum demonstratur à contrario per esse productum, seu per esse ab alio, consequenter perperam ait Poncius & non ad mentem Scoti quod esse productum sit ob esse finitum, nam nihil, ait Doctor l. c. habetur limitatè in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agente illud determinante ad certum gradum, itaque esse limitatum & finitum præsupponit à producente extrinseco esse determinatum ad certum finitatis gradum, adeoque via causalitatis prius esse productum ab alio extrinseco, quam esse in termino finitatis.

Probatur quartò ostendendo nullitatem rationum pro opposito, suntque tales: talis realitas ex natura rei extra intellectum ac ab inferioribus præcisè, præsupponitur actui intellectus: ergo. Anteced. prob. quia ens est adæquatum & primum intellectus objectum. Secundò nisi responderet conceptui entis dicta realitas, ille non esset realis sed rationis. Tertio de quidditate Dei & creaturæ prædicatur ens in quo quid: ergo illud non dependet à nostro intellectu, neque ens rationis prædicatur essentialiter & in quid de ente reali? ita arguunt Anton. And. & Can. 2. Quartò opponit Meurisse: conceptus qui ex natura sua dicit pauciora, quam alter, est ex natura rei præcisè & distinctus ab eo, sed conceptus entis ex natura sua pauciora dicit, quam conceptus inferiorum, quia conceptus entis dicit solum gradum essendi & simpliciter simplicem non ulterius resolvablem, at conceptus inferiorum addunt determinatum modum essendi seu compositum ex esse & determinato modo essendi, ergo est alius à quolibet inferiori quia implicat eundem conceptum esse simpliciter simplicem, & non simpliciter simplicem. Quintò idem arguit ex

scito v. g. intellectus potest esse certus de aliquo, quod est ens, & dubius, an sit tale vel tale finitum vel infinitum: ergo conceptus entis, de quo est certus, ex natura rei est alius ab illo qui parit dubitationem.

Solvitur
prima.

Sed nulla harum oppositionum quidquam probat contra Assertionem. Non prima, falsum enim est ens reale, ut statuitur obiectum adæquatum nostri intellectus sumi debere strictim, ut supponit simpliciter pro illo solum conceptu abstracto entis ut sic, sed accipiendum est ut supponit simpliciter tam pro ratione generali entis sic abstracta, quam pro specificis & particularibus particularium entium, unde licet hisce rationibus deferendum sit, quod præsupponatur omni actui intellectus, quodcirò non sequitur idem dicendum de generali conceptu & abstracto entis ut sic, nihil enim præsupponitur intellectui, quod per illum originatur, sicut conceptus entis ut sic ad inferiora communis originatur per intellectum, neque enim illa primitas qua dicimus ens esse primum obiectum intellectus, intelligitur de primitate originis, quam deferimus enti secundum rationes suas particulares & specificas, nam hoc supposito certum est repugnare, ut esset illa ratio entis abstracta per intellectum, sed de primitate adæquationis, cui non inconuenit talem rationem entis ut sic esse per intellectum abstractam.

Solvitur
secunda.

Non etiam secunda, quia absolute negatur conceptum entis non esse realem, etiam si non correspondeat illi realitas à parte rei habens unitatem aliquam ex natura rei ab inferioribus præcisam, non enim est realis, quia fundetur in natura quæ sit taliter una & communis Deo & creaturæ, sed quia verè abstrahitur per intellectum à realitatibus Dei & creaturæ, quæ in tali conceptu exprimuntur in toto ordine sine comparatione ad Attributum rationis, sed sicut sunt à parte rei, licet inadæquate & confusè, habentque esse repræsentatum in specie intelligibili ab intellectu agente, quam intelligatur ab intellectu possibili, & sic potest dici, rationem conceptibilem entis, ut est indifferens ad Deum & creaturam, habere aliquam unitatem ex natura rei, quia habet illam ante actum intelligendi, esto non est extra intellectum omnino, sed originativè per actus intellectus agentis & abstrahentis eam rationem à suis inferioribus, adeoque quia habet in intellectu agente prius esse obiectivè & repræsentativè. Vide Trombetam Tract. formal. p. 2. art. 2.

Insuper, universalitas logica pro fundamento requirit realitatem ex natura rei præcisam ab inferioribus & pluribus communem ut habet Doctor 2. d. 3. q. 1. in initio dicens universalitatem fundari supra communitatem Naturæ, & tenent communiter Scotista, ergo à potiori talis requiritur ab universalitate transcendenti. Consequenter prob. quia aliàs logica potius esset scientia realis, quam metaphysica quæ non haberet pro fundamento talem realitatem ex natura rei in inferioribus, sed solum in conceptu nostro repertam.

Respondeo conced. anteced. quod universalis logica v. g. genus & species fundentur supra unitatem alicujus naturæ communis, sed quia præ se ferunt & important secundas intentiones, quibus explicantur res extra suum ordinem in aliquo Attributo rationis, hinc de illis non est nisi scientia rationis, conceptus verò transcendentalis entis ut sic explicat res, ut statim dixi, secundum gradum essendi & in suo ordine, & ideo metaphysica, quæ agit de ente & aliis transcendentibus est scientia realis.

Solvitur
tertia.

Sed nec officit Assertioni tertia in contrarium adducta, ut cum jam liquet ex dictis conceptus entis dicitur quidditativus & prædicari in quid de Deo & creatura, non quod dicat realitatem ex natura rei præcisam in Deo & creatura, adeoque ambobus à parte rei unam & communem, sed quia à purâ quidditate Dei & creaturæ natus est abstrahi omnibus seclusis, quæ sunt extra quidditatem ipsorum.

Insuper ergo prædicatio in quid de transcendentibus non fit per id, quod importatur à parte rei integrè & adæquate, sed per præcisiones obiectivas factas ab intellectu inadæquate concipiente. Resp. conced. instantiam, nulla enim fieri potest prædicatio omnino ex natura rei sine intellectu abstrahentis opera, esto res quæ prædicatur ex natura rei exprimitur in illa, quatenus secundum se ex natura rei est regula & mensura veritatis per prædicationem assertæ, itaque prædicatio transcendens vel superioris de inferioribus non exigit semper ut superius & à posteriori transcendens importet realitatem à parte rei à gradu inferiori distinctam.

Si dicas ergo talis prædicatio est ejusdem de seipso: Respondeo cum Baggio 1. d. 8. q. 3. ad primum principale apud Mastrium l. c. in hoc passu idem imperfectè conceptum prædicari de seipso perfectè conceptu quod sufficit ad evitandam prædicationem identicam, in quo idem de seipso prædicatur eodem modo conceptum, cum dicimus Petrus est Petrus, animal est animal, substantia est substantia &c.

Solvitur
quarta.

Ex his patet, quid sit de quarta ratione quæ locum habet in conceptibus ejusmodi, quibus correspondent in inferioribus propriæ & adæquate realitatis per eos importatæ, quales sunt conceptus prædicamentales, qui ex natura sua pauciora dicunt, quam conceptus inferiorum, qui dicunt unam in pluribus realitatem seu naturam communem, & præterea dicunt determinatum modum essendi in hoc vel alia specie, in hoc vel illo individuo; secus est de conceptu transcendenti entis, qui sola vi intellectus abstrahentis & inadæquate concipientis pauciora dicit, quam conceptus inferiorum, & qui non distinguitur à parte rei in Deo ab illo, quod addit esse divinum, nec in creatis ab illo, quod est esse creaturæ. Ex quo patet, non implicare unum conceptum, qui est perfectè per rationem præcisam à conceptibus inferiorum dicere pauciora & posse cum sola distinctione rationis ratiocinatæ esse simpliciter simplicem,

non

non alterum, qui realiter distincta imò & primò diversa importat.

*Solvitur
quinta
objectio.*

Ad ultimum denique concedo rationem *Scoti*, qua ille solum probare intendit perfectam præcisionem conceptus entis ab inferioribus abstrahendo ibi sitne ista præcisio ex natura rei, vel ab intellectu, ubi autem de hoc concludendum fuit, conclusit pro Assertionem, ut vidimus supra §. præcedenti.

112

Secunda pars dicti principalis, quod negata communi realitate entis in Deo & creatura ex natura rei præcisæ adhuc convenire queant in conceptu entis inadæquato, eget potius explicatione, quam probatione, scilicet quomodo una realitas, quæ à parte nequeat exprimi pluribus conceptibus adæquatis, benè tamen pluribus inadæquatis, vel uno adæquato & perfecto & reliquis inadæquatis & imperfectis seu abstractivis, & quidem ex 5. *Metaph.* quia similitudo & convenientia fundetur super unitate, distinctio & diversitas supra multitudinem, videtur impossibile aliqua plura secundum unam & eandem rationem posse convenire & simul differre, ergo & impossibile est quod Deus & creatura realiter conveniant in conceptu communi entis, cum & realiter differrent rationibus propriis ab ente ex natura rei indistinctis, verum oppositum hujus vide deductum *Controv.* 9. q. 6. in exemplis de ultimis differentiis & Relationibus Divinis, & apud *Scotum* de Relationibus Divinis 1. d. 26. q. unicā, de differentiis ultimis verò 1. d. 3. q. 3. ubi tales docet in nulla realitate convenire, & tamen d. 23. q. unica, ea diversitate non obstante vult ab illis modo suo conceptum aliquem esse abstrahibilem.

*An &
qualiter
primò di-
versa in-
telligibi-
liter in
unum co-
eant con-
ceptum.*

113

Restat proinde, ut explicemus qualiter primò diversa Deus & creatura intelligibiliter in unum coeant conceptum, & unde unitas intelligibilis hujus conceptus primò diverforum sumat fundamentum & convenientiam seu realem in ratione essendi similitudinem, à quo intellectus illum conceptum entis exprimat, & sub unitate quadam intelligibili singulis ut communem aptet, pro

quo *Tromb.* 4. *Metaph.* q. 2. ad 2. princip. apud *Mastrum* 1. c. scitè dixit similitudinem istam inter Deum & creaturam, quæ est fundamentum, unde intellectus communem conceptum entis abstrahat in ratione essendi, ante abstractionem conceptus non esse æqualem & positivam, quæ præ se ferat relationem realem, tunc enim necessario Deo & creaturæ à parte rei inesset communis quædam realitas, super cujus realitate relatio illa fundaretur, sed est tantum ait *Tromb.* cit. convenientia & similitudo inchoata & aptitudinalis, quæ præsupponit fundamentum in aptitudine non in actu quatenus apud intellectum inadæquatè concipientem Deus & creatura nata sunt causare conceptum ambobus unum, eo quod unum cum altero habeat convenientiam aliquam in re & similitudinem qualemcumque, id est, saltem inchoatam, ut ab intellectu inadæquatè concipiente possit in signo quodam communi concipi & super illo abstrahi una ratio communis, in qua ea sic similia secundum illam rationem indistinctè concipiat, quo pacto autem illa ratio communis entis non sit rationis tantum, sed realis, jam dictum est supra.

Dices: Deus non potest inadæquatè rem abstrahere, ergo si ens dicat conceptum solum inadæquatum in intellectu divino non reponetur univocatio entis. *Respondeo*: sicut divino intellectui repugnat cognitio abstractiva, ita & illi repugnat talis univocatio entis immediata, imò & mediata, si per impossibile nulla creatura aut nullus intellectus esset possibilis, de facto tamen mediata illam habet, & in nostro cognoscit intellectu, quatenus Deus cognoscit nostros conceptus formales, quibus concipimus inadæquatè ens & convenientiam, quam in illo conceptu nobiscum habet; hæcè ponderatis redeamus ad quæ situm principale, & sic

ASSER-

ASSERTIO II.

Probabilius est Deum eo formaliter esse Deum quo est formaliter ens,
ac in eodem sensu, quo est ens, esse substantiam, quo est substantia,
esse & spiritum, quo spiritus, esse & vitam, intellectualitatem, singu-
laritatem & existentiam, adeo ut tota actualitas divina nescia sit distin-
ctionis ex natura rei formalis inter prædicata quidditativa, quæ se mu-
tuo transcendunt, ut unum formaliter includatur in conceptu alterius.

115 **H**anc tenent Scotistæ haud ignobiles su-
perius citati, citatque *Veken* d. 5. de Deo.
c. 3. num. 12. pro ea ex Scotistis nostrum
Vulpes Tom. 1. in 1. p. d. 6. art. ult. & deducitur
ex dictis quod eadem realitas, quæ correspon-
det conceptui totius Deitatis metaphysicè spe-
ctatæ, correspondeat etiam enti in Deo, & vi-
cissim, loquendo de ente, ut in Deo se habet à
parte rei, non ut inadæquatè conceptu, omnes
enim, quas in contrarium adducunt instantias,
appellant seu reduplicant ens supponendo pro
illo, quatenus est per rationem objective præ-
cisum, cuius causa & radix est, quod necessariò
conceptus nostri de ente in Deo formetur per
species alienas & inadæquatas, quarum concu-
rsu illos abstrahit & sub unitate quadam in-
telligibili tum Deo aptat, tum creaturæ per par-
ticulas causales: *Quæ, quatenus, quia, in quan-
tum, & similes*, ea enim est vis reduplicationis,
ut faciat solum & præcisè exprimi illam ratio-
nem, supra quam cadit, idque nota fieri dupli-
citer, pro duplici scilicet conditione rationis,
quæ appellatur, semel enim esse potest illa ra-
tio formaliter ex natura rei distincta ab alia;
semel per solum operam intellectus, adeoque
vis reduplicandi non concludit præcisionem ex
natura rei formalem, nisi in quantum ei suppo-
nitur inter rationes adæquatè conceptibiles,
eamque distinctionem fundantes, quarum
unam alterà relicta appellat reduplicatio, ne-
que è contra præcisionem mediante & cogi-
tante intellectu factam, nisi in quantum ei sup-
ponitur in rationibus inadæquatè conceptis, &
super quarum una solum cadit reduplicatio.
Ex quo sine difficultate solvuntur instantiæ, quas
contra Assertionem quidam Scotistæ solent af-
ferre: v. g. quod Deo repugnet finitas ex ra-
tione Deitatis, quæ tamen non repugnet natu-
ræ entis, quia si repugnaret ex ratione formali
entis, ut ens est, repugnaret omni enti, adeo-
que & creaturæ; ubi vides quando dicitur ta-
men non repugnat ratione entis, ut ens est, redupli-
cationem adhiberi supra rationem entis à solo
intellectu præcisam, sic enim & non aliter ve-
rum est, cum tam repugnat finitas ratione en-
tis, ut à parte rei est in Deo, quam ratione Dei-
tatis, eadem quippe realitas correspondet con-
ceptui Dei & entis à parte rei, cuius oppositum
perpetrari argumentum concludit transeundo
ab ente in serie transcendentium per conceptus

inadæquatos spectato, ad ens cum ordine ad
conceptus prædicamentales & adæquatos, qui-
bus distinctæ correspondent realitates à parte
rei, hoc modo solvuntur omnes aliæ instantiæ
quæ coincidunt cum priori, ut Deus convenit
cum creatura, quatenus ens est, non quia Deus
est; item aliud constitui per rationem entis,
qua ens, aliud per rationem substantiæ, Deita-
tis &c. ac proinde Deum non dici ens ab ea-
dem ratione, qua dicitur Deus, substantia, col-
ligi ex diversis effectibus formalibus seu consti-
tuti, nam patet falsò dici quod Deus cum crea-
tura actualiter conveniat in ratione entis, est-
que alia realitas, qua Deus est ens, & alia qua
creatura est ens, eadem ratione falsò dicitur
aliud constitui per rationem entis in Deo, aliud
per rationem substantiæ &c. loquendo de ente
ut est à parte rei, si verò loquamur de eo, quod
contingit per intellectum, & ut appellat ratio-
nem entis à Deitate per illum præcisam, sic ve-
rum est Deum non dici Deum & substantiam,
ab eadem prorsus ratione conceptibili, à qua
dicitur ens, verum tunc malè concludit argu-
mentum contra Assertionem, quæ dicit eandem
realitatem in Deo, quæ correspondet omnibus
prædicatis divinis, correspondere etiam præ-
dicato entis, ut est ibi à parte rei. Hisce ergo è
via remotis difficultatibus

Probatur Assertio primò: Non est eadem ra-
tio distinguendi Dei prædicata quidditativa in-
ter se quæ est Attributorum & relationum re-
spectu Deitatis. Prob. assumptum: de Attribu-
tis & relationibus respectu Deitatis actualiter à
parte rei verificantur contradictoria, quæ ar-
guunt distinctionem in extremis suæ naturæ
proportionatam, id est ex natura rei formalem:
atqui nulla talia contradictoria verificantur de
prædicatis Dei quidditativis: ergo, maj. est in
confesso, quia, quoad relationem & Essentiam,
à parte rei Relatio producitur; Deitas non
producitur; Deitas facit unitatem; relatio non
facit unitatem, sed unitatem. Quantum ad At-
tributa, Filius producitur per intellectum; non
per voluntatem, Spiritus sanctus per volunta-
tem non per intellectum: minor, quod nulla
actualiter à parte rei verificentur contradicto-
ria de quidditativis Dei prædicatis. Probatur
ex statim dictis, illa enim essent, quod Deus
conveniat cum creatura in ratione entis, non
in ratione Deitatis; sed illa nulla sunt, quia ut
dictum

116

Quomodo
solvenda
obsectio-
nes Sco-
tistarum
quorum-
dam.

Redupli-
catio
quid ope-
retur.

dictum est, tam Deus disconvenit in ente, ut à parte rei in Deo talis realitas est, cum creatura, quam in Deitate, quod autem Deus & creatura realiter conveniant in ratione entis per intellectum præcisam ab inferioribus, & simul differant in rationibus propriis Deitatis & creaturæ, nullam arguit contradictionis inconvenientiam, nihil quippe impedit aliqua plura secundum unam & eandem rationem simul convenire & differre, dummodo non conveniant eodem modo, sed sub diversitate jam dicta, quod conveniant in ente per rationem abstracto, differunt ut est tale in illis à parte rei.

117

Probatur secundò: si quidditativa Dei prædicata importent in Deo diversas ex natura rei formalitates, non possent singulæ poni in ultima actualitate, sed necessario una esset potentialis ad aliam, ac consequenter esset in Deo compositio. *Seq. prob. ens & substantia* tam in communi considerata in esse objectivo quam in particulari & in esse subiectivo se respiciunt ut superius & inferius & cum reliquis prædicatis velut magis & minus commune, consequenter se habent istæ realitates inter se, ut quid determinabile & determinativum v. g. esse simpliciter seu ratio entis, in Deo erit determinabilis seu contrahibilis per substantiæ realitatem à se distinctam ad tale esse substantiale, & sic consequenter usque ad infimum gradum, sed

hoc est absurdum. *Seq. maj. prob.* quia nulla alia via inter se possent identificari & coire in unam quidditatem. *Prob. anteced.* non enim ratione infinitatis, quæ sola eorum identificationi superesse posset: *ergo via* compositionis. *Prob. anteced.* ex iis, quæ diximus supra de partibus constituentibus & constituto, quo illæ conciperentur priores, proinde non conciperentur ut infinitæ, cum ipsa Essentia, quæ esset constitutum, sit radix & principium omnis infinitatis in Divinis, utpote solum illud Divina pelagus Essentiæ est omnis infinitudinis ac omnium scarugo perfectionum, nisi velis dicere perfectiones illas primarias præ se ferre infinitatem ex se, & dare illam Essentiæ, quod est falsissimum.

Hæc ratio denuò ostendit differentiam inter quidditativa Deitatis prædicata & Divina Attributa, quibus ratio superioris & inferioris non convenit, sed se habent ut perfectiones disparatæ, quarum qualibet est in ultima actualitate ad invicem ratione infinitatis sibi realiter identificatæ, nulla adeoque potest subordinari alteri, cuius oppositum de rationibus quidditativis, supposito, quod præ se ferant proprias realitates, est manifestum ex conditione naturæ earundem, quæ nequeunt constitui in ultima actualitate, eo quod sibi subordinentur ut formalitates magis & minus communes.

Satisfit Argumentis quæ in principio Quæstionis adducta sunt.

118
Ad aucto-
ritatem
Scoti re-
sponso.

AD primum quidem jam est satisfactum in supradictis, quod argumentum Scoti efficaciter concludat de Attributis, secus de prædicatis quidditativis ex data ratione, quia rectè ex ratione formali Bonitatis & sapientiæ in communi deducitur eadem distinctio infinitæ Bonitatis cum infinita sapientia, Bonitas siquidem & sapientia in communi ita se habent, ut neutra perfectio absorbeat, transcendat vel includat alteram, possitque qualibet earum distinctè conceptu adæquato, velut realitas disparata ab altera, quarum una nullatenus subordinatur alteri, concipi, ac proinde ut in Deo sunt, cum infinitas non muret rationem earum formalem, nec aseitas ut gratis & sine probatione asserit *Vekend. 5. de Deo. c. 3. n. 15.* nihil impedit illas tunc constitui in ultima actualitate, cum etiam, quod excludendo omne periculum compositionis sint perfectissima identitate reali sibi identificatæ per infinitatem ab Essentia mutuatam sine obstaculo prioritatis alicujus ante illam, quia non præconciuntur Essentiæ, sed sequuntur illam. Aliud porro est de ente & substantia &c. quæ quantumcunque in communi sumantur se respiciunt semper ut inferius & superius, seu ut magis & minus commune, quorum unum includit alterum, consequenter falsò assumitur, quod ens & substantia in communi adæquatè inter se distinguantur & perfectis concipi possunt concepti-

bus, uti *Doctor* ostendit de Bonitate & sapientia, falsò item, quod aliâ viâ, quam compositionis in unam quidditatem coalescere possunt, cum enim essent priores Essentia à se constituta, ac proinde pro tali priori non essent infinitæ, nec per infinitatem identificabiles, ut patet.

Ex his intelligitur immeritò rejici à *Maestro* d. 2. de Deo. q. 2. n. 104. responsum *Angeli Vulpi* datum ab ipso p. 1. Tom. 1. d. 6. art. ult. tanquam insufficientem, eo quod dicat, si prædicatum quidditativum præ se ferret propriam realitatem distinctam à realitate alterius, ejusmodi realitas, quia non involveret totam quidditatis Dei perfectionem, non esset formaliter infinita, proindeque esset potentialis comparatione alterius, quia isthæc responsio reipsa coincidit cum responso, quod nos & ipse dedit *Maestro*; indubiè enim, quia suppositum in tali casu unam realitatem se habere respectu alterius, ut contrahibile ad contractivum, ideò nimirum statim subjungit, quod comparatione alterius esset potentialis; similiter supponit, quod se haberent ut superius & inferius & ut partes ad unam quidditatem constituendam subordinatas, & quia tales præcedunt Essentiam constitutam ut pars, rectè dixit quod non involveret totam Dei perfectionem quidditativam pro illo priori quo constitutum præcedant & infinitatem non habent, quia responsio in sub-

stantia non differt à nostra & *Mastrii* II. cc.

120
Respon-
detur ad
rationes.

Ad rationes ad primam respondeo neg. illud duntaxat fundamentum asserendi distinctionem formalem, quod Attributa sint in Deo secundum proprias rationes formales imperfecto solum & inadæquato conceptu conceptibiles, sed quia ita sunt ibi secundum proprias rationes formales, ut qualibet earum sint disparati ordinis non coeuntes in unam naturam vel Essentiam metaphysicè spectatam, & neutra alteri subordinata, singulæ item sint adæquatè conceptibiles, una non includatur in ratione alterius, cujus contrarium est in prædicatis quidditativis, quarum una includitur in alia, ut ens in substantia, hæc in vivente intellectualli &c.

Ad primam.

Dices: ergo saltem non erit distinctio ex natura rei inter Essentiam & Relationes, quia Essentia Divina comparatur ad Relationes etiam in abstracto sumptas, tanquam quid superius, & ut forma communis & contra relationes comparatur ad Di-

vinam Naturam, ut species illam quidditative includentes: ergo secundum hoc responsum Essentia Divina includetur formaliter in conceptu Relationis. *Respondeo neg. anteced.* & probationem illius, licet enim Essentia sit communis Relationibus originis, non tamen per logicam superioritatem, sed solum per identitatem, unde potius comparantur ad Naturam Divinam ut rationem eam determinantes præcisâ omni pluralitatis imperfectione ad tres Personas, determinans autem, & id quod determinatur ita condistinguuntur, ut neutrum in suo conceptu includat alterum. Sed de hoc alibi.

Ad secundam, responsum est in superioribus, videlicet non qualemunque descriptionem definitionum arguere distinctionem ex natura rei formalem, sed solum earum quæ dantur per adæquatos conceptus. Vide quæ diximus q. I. hujus Controv. fusè sub num. 80.

Ad secundam.

QUAESTIO III.

Sintne in Deo perfectiones Attributales consequenter eorum inter se & ab Essentia distinctiones numero infinitæ, ubi an ipsa Attributa in tot concidantur formalitates, circa quot terminos & objecta versantur.

S U M M A R I U M.

1. Perperam dicitur Deum nihil esse nisi cumulum infinitarum perfectionum. 122. idque Scoto attribui impossura est. 124.
2. Attributa divina non veniunt distinguenda in

alia pro infinita objectorum multitudine, & multiplici tendentia ad illa quasi in infinitum.

121

A Pud *Vasquez* I. p. d. 10. num. 28. & d. 25. art. 1. *Anonymos* quosdam, qui opinionem affirmativam tutantur, videre licet, quibus & favet *Occam* 4. q. 1. art. 1. l. 8. *Ferrariensis* ad 3. D. *Thomas* contra Gentem. c. 56. S. quantum ad secundum, & ratio esse potest, tum quia infinitum est impertransibile, tum etiam, quia infinita Dei perfectio non videtur posse subsistere, sine perfectionibus numero infinitis, esto beati illas in infinita Essentia unitè & simplici-

ter contentas, omnes distinctè videre non possint, sed cernunt illas ut quid unum, quomodo S. *Bernardus* videtur distinguere perfectiones Dei easque esse infinitas, licet re ipsa unum sint: Multa, inquit, dicuntur, esse in Deo & quidem sanè catholiceque, sed multa unum; alioquin si diversa putamus, non quaternitatem habueris, sed unitatem, quasi dicat multa numero infinita.

* * *